

1978

N

11

[5711]





A

AD

VIRVM ILLVSTREM  
DANIELEM WILHELMVM  
TRILLERVM D.  
CONSILIARIVM AVLICVM REGIVM  
PROFESSOREM MEDICINAE PRIMARIVM VITEBERGENSEM  
AMICVM EX ASSE

QVINTA  
DE PRÆSENTIS BELLII CALAMITATIBVS  
QVERELA  
D. G. G. RICHTERI.

Kapitel 78 N 11 [9]

A4





**A**n quintum audebo querulos effundere planctus?  
Fracti animi nondum tot dare signa pudet?  
Hunc animum commotum equidem non sentio fractum.  
Sensum, qui nunc est, ipsa querela leuat.  
Nam legit, haud dubito, vultu hanc TRILLERVS amico,  
Quin aliquid nugas has putat esse meas.  
Iam pudet, errorem quia mens agnoscit amantis,  
Attamen errorem plena pudoris amat.  
Hoc illum pretio redimes mea Musa lubenter,  
Centum aliis oculis vt videre rudis.  
Nec vera offendunt, nec amicus displicet error,  
Non tumor hinc oritur, nec venit inde timor.  
In re tam parua quae me censura mouebit?  
Nec laus TRILLERI sed mouet eius amor.  
Hic mihi vericutos fudit tam diuite vena,  
Quae nondum senii, ceu mea, frigus habet.  
Bis mihi quartus adest & ter vice simus annus,  
Quo tam molle tuum carmen, Amice, lego,  
Igne quidem sed amore magis me iudice plenum,  
Laetor amicitiae munus habere tuae.  
Confers, quod iuuenes tranquillum exegimus aeuum,  
His, quae nunc agimus turbida lustra senes.  
Illorum extollis tam lucida fata dierum,  
Arguis hos tristes & sine luce dies.  
Mense vno genitos memoras vnoque sub astro  
Par vitae & fati nos habuisse genus.  
Haec dum tempestas noua passim fulmina vibrat,  
Ausus vterque sui est scribere fata loci.  
Tu dum Leucoreae describis ab igne ruinas,  
Sic cineres pingis, ceu Maro Troia tuos.  
Gottingae miseram mea deslet pagina sortem,  
At Bauium, vt vereor, plus referente stylo.  
Perfistam in tenui, qui nunc mihi campus aratur,  
Aptior huic forti sermo pedestris erit.  
Luctu squalentes ornatus dedecet omnis,  
Vnum TRILLERVM iam sua Musa decet.

Is tam flexanima quia lusi arundine dudum,  
Non secus ac Orpheus saxa animosque mouet.  
Laeta

Lacta canat seu moesta, patent mox omnibus aures,  
Sic aures patulae posteritatis erunt.  
Me sacri memoris credo latitare sub umbris,  
Pollice tam tenero dum modulatur epos,  
Pumice sunt Phoebi iam tersa volumina septem,  
Quae re, quae verbis, quae numeroque placent.  
Hic quam munditiam vernacula lingua tuetur!  
Quam tenuem maculam dictio pura timet!  
Quam nativa Venus regnat, quam nescia fuci,  
Ipsoque in cultu simplicitatis amans!  
Adfundunt alii tenebras sub acuminis umbra,  
Quae rude saepe chaos continet, imo nihil.  
Aspera verba placent, salebrosa, obscura, comata,  
Vt nec Apollo sciat, quid sibi dicta velint.  
Digna tamen credunt magni Iouis auribus esse,  
Lectori gaudent figere posse crucem.  
Vox longe & ratio TRILLERI discrepat illis,  
Qui tam limosas iure reliquit aquas.  
Musa sui genii nervis & robore tuta  
Fucatas spernit plena decoris opes.

Sic patrias oras, etsi fere funere mersas,  
Pristina adhuc animat Musa vetasque mori.  
Gottschedi adplaudit meritis, cui vindicat vni  
Grande sui cultus patria lingua decus.  
Artis & ingenii virtus conivrat amice,  
Quam vigil Aonias curat & ornat agros!  
Illum Caesarei decorant monumenta fauoris,  
Regia in hanc laudem dat sua vela manus.  
Nacta prius studii stimulos & praemia Regum  
Ornate didicit Francia culta loqui.  
Rara eadem ingenii patriae fomenta fuerunt,  
At simili propriis motibus igne calent.  
Austera erudium non plus praecepta sopherum,  
Quam nos Gellerti fabula blanda docet.  
Ars latet, inque animos vis lenibus insluit undis,  
Attamen arguta cum ratione mouens.  
Limpida verba fluunt, sed rerum pondere mixta,  
Lector tot Veneres in breuitate stupet.

Quaeque thymo redolent Latii fragrantia mella,  
Priscarum instar apum Boehmii ore legit.

Sed lucente manu repeto mea fila querelae,  
Illa mei memorem me iubet esse scopi.

Hic TRILLERE igitur, quae iacta est alca sati,  
Quae lapsus nobis attulit annus, habe.

Cura, timor, votum, parui est farrago libelli,  
Nos inter saxum stare sacrumque docet.

**D**ispersum inque suis securum hiemalibus hostem  
FERNANDI inuadunt agmina vere novo.

Hastis vidit agros niuibus nunc milite plenos,  
Iam pars Castellae obsidione premit.

Pars praedam ac captos abducit & horrea delet,  
Littora mox Rheni, qui fugit, hostis adit.

Cuncta replet terror, magnis tamen ausibus obsae  
Squalens & pediti cix subeunda via,

Horrida tempestas, frigus, penuria frugum,  
Terra tot aerumnis emaciata suis.

Inde recollectis dum viribus imminet hostis,  
Praestat ab obsessis iam remeare locis.

Obuia quae virtus centenis nullibus ibit?  
In numero multum est in ducibusque spes.

Broglio nunc orget parte hac, Subisus illa,  
A tergo incurruunt a facioque simul.

Consilii ut noriut dextraeque intendere nervos,  
Sic nos consilium, dextra Deusque iuuant.

Villinghufi tuos acies regit veraque campos,  
Praesagis nostram garrula fama fugam.

Vae nobis! mendax nisi crebro fama fuisset,  
Hostis ad arbitrium cuncta redacta forent.

Ad portas Stadae primo iam vere steteret,  
Spes haud inferior robora tanta decet.

Spem specie instam FERNANDI industria vici,  
Coniuncta hostilis dum capit arma cohors.

Acrius haec pugnam binis ingressa diebus  
Cedere cum magna clade coacta fuit.

Fluctuat hinc animus, sensum persuasio languet,  
Alius bis terris figere posse pedem.

Nuper

Nuper adhuc visa est vnius Hamelia mensis  
Praeda, Monasterium Lipstadiumque simul.  
Iam tumor ille cadit totique modestia maior  
Ambiguae pugnae damna cauere monet.  
Quas via nunc pedibus munitas obicit arces,  
Momenti, ut penetrer, non leuis esse videt.  
Castra per aestiuos tot itus reditusque locata  
Certum in progressu non reperere gradum.  
Omnibus ecce locis FERNANDVS euntibus obstat,  
Captandosque aditus occupat ipse prior.  
Vincere non plus est quam sequi suosque tueri,  
Et magis instruatae vim cohibere manus.

At nostri asperitas sati non inde leuatur.  
Durius hanc urbem, quam promittit ante iugum.  
Mollitiem adpellant miserorum attendere planctus,  
Iusque suum, lateres multiplicare, vocant.  
Vix grauius extorsit praetor non flexilis aera,  
Dum grauiora nouis exigit aera minis.  
Aera voco, argentum vulgaris nuncupat error,  
Tempora, quae nunc sunt, aerea massa decet.  
O bene! si talis modo restat numus egeus,  
O male! si nec eum, quem dare possit, habet.  
Tuta illi non est quamuis angusta suppellex,  
Ipse nec a saeuo verberare tutus erit,  
Carceris aut facient sordes, et soluere possit.  
Quin monuit gratis, se monuisse negat.  
Dat miser omnem operam, precibus lacrymisque fatigat,  
Si quis ei occurrit, pignore iamque mouet.  
Dona putat, magno quae foenore mutua sumisit,  
Iamque domum laetus, quin ES anbelur, abit.  
Verum mensis nouo rodit noua cura medullas,  
Pignora iam desunt, his sine nulla fides.  
Numus an exhausta rediuitus pulsulat arca?  
Instant! aere nouo non tamen arca turet.  
Cur vero dubitat rotas emunctus, abire? quae  
Nempe domi paruo plus micat igne focus.  
Qui vigilans inter seruente aestate labores  
Exigui ruris vilis farra legit.

Pergit

Pergit amare suum, qui nil iam praebet, agellum,  
Fertque diu aduersae spicula sortis amor.  
Dum nihil effugii versura iterata relinquit,  
Cura fugam suadet, figit amorque pedem.  
Ista videns moueor, quos tunc licet essero numos,  
At miseros doleo posse leuare parum.  
Aegre fert proprios res nostra domestica sumtus,  
Inter cancellos iam nimis arcta suos.  
  
Plus autem fateor ciuis me sorte moueri,  
Quem seruire grauat saepe laboris onus.  
Cogitur alternis submittere colla diebus,  
Vel qui submitunt, hos mouet aere suo.  
Et mouet haud alios, quam quos sua reddit egestas  
Pronos, ut tolerant verbera, probra, minas.  
Nam nisi seruet opus, censura ignoscere nescit,  
Hanc dubiae culpa vix leuis umbra fugit.  
Verbera non sensit tot ab amnis ciuis honestus,  
Durum est, id sero discere terga senis.  
Non ex mollitie refugit, quod ferre iuberet,  
Grande onus, at grauius viribus esse gemit.  
Sensum animi humani non plus expectat ab hoste,  
Nempe gerunt homines non ea bella ferac.  
Nunquam factum atrox et mansuetudinis expertus  
In populum imbellem bellica iura probant.  
Intra aedes etiam seruescit militis ira,  
Obsequi ut dominus postulat omne genus.  
Dicit hero ingrediens: rerum nunc iura tuarum,  
Iura tuique simul, nos penes esse scias.  
Seruus es, ut nostris auscultes miribus, utque  
Post pigram referas liuida terga moram.  
Haec placidi ingenti retulit mihi ciuis, et idem  
Nutum hominis tanquam regia iussa rimeret.  
Ne timeas, dixit, quoties tibi iusta querela est,  
In quos iustitiae cura recumbit, adi.  
Sique ferit pugno, non solo expululat ore,  
Cogere praesebos osque manusque puta.  
Haud, inquit, faciam, morae plus imminet inde,  
Haec ausos vidi quam grauis ira premar.

Sic



Sic ea fert & plura simul, frigusque famemque,  
Non plena, ut quondam, pulvis olla calet.  
Fursureos panes & olus dum rodit agreste,  
Ridet Cretensis naris & oris homo.

Hoc hosti, cui multa licent, dat amabile nomen,  
Laedere quae poterant, parcere malle manus.  
O vitinam a nobis hoc nomine vellet amari!  
Nomine quo pariter Numen amaret eum.  
An renuit fingens hominum praecordia Titan  
Francorum ex molli fingere corda lato?  
An bene moratae tam splendida nomina gentis  
Error iis hominum credulitasque dedit?  
An cor molle fuit, bellique induruit usu?  
Duriter an miseris cuncta videntur agi?  
Moribus, ingeniis, studiis, mercatibus, armis  
Laus olim nata est & stetit aucta diu.  
Iam quid ab hac norma suasit discedere laudum?  
Mars legum & morum tetra venena gerens,  
Haud fecem populi prolemque coarguo ruris,  
Quae raro faustos fert satis aequa dies;  
Sed quos instituit cultae lex aurea vitae,  
Quae moderate vti sorte favente iubet,  
Supplicibusque acri vetat insultare cachinno,  
Et faciem miseris hostis habere negat.  
Inter anbelantes miser est quasi praeda leones,  
Conculcata videt vincula sacra domus.  
Adsunt, qui lectos audent foedare iugales,  
Sexusque imbellis sollicitare fidem.  
Ianua vix clausa est, & quae tam clauditur arctae,  
Per quam non aditum mus & adulter habet?  
Litae adfert dominae, miscetque iocisque minasque,  
Ius pariter causae vindicat illa suae.  
Ille ream peragit, vult ut laet inguine culpam,  
Pronius haud alia parte Fabulla luit.  
Quae prurit metuitque simul, non transigit aegre,  
Non ea cunctatur pace viroque frui.  
Heu movet exempli vis, iam diuariat ultro,  
Quae timeret, hospitibus crura sinumque suis.

At

*At quo teste refers? hanc rem quis detulit ad te?  
Quid camarinam agitas? o tege fama nefas!*

*Francis asperior Saxo quid parcitis? inquit,  
Nonne magis nostros arma Borussia premunt?  
Haec patriae sitiens exsuxit birudo cruorem,  
His igitur pariter sinus birudo locis.  
Audini & dolui. Nam visa est foederis olim  
Inter utramque domum sancta stetisse fides.  
Haud fuit, haud nunc est nobis cum Saxone bellum,  
Nostra quieti eius nunc quoque vota fauent.  
Contra nos igitur quod eum caput honoris?  
Francica, ut his terris militet, aera mouent.  
Quid non venale est, veteresque obtundit amores?  
Errorum spinas undique bella serunt.  
Nonnullis meliora placent, quorum Haeseler vnus,  
Saxonicae gentis militiaeque decus.  
Gratia cui mores, animam cui candor apertum,  
Aequi cui sensus mitia corda dedit.  
Attulit haud tumidas hostili sanguine venas,  
Haud puduit nostris ingemuisse malis.  
Me quoties adiit, quoties adique vicissim,  
In cultum exarsit mens mihi tota nouum.  
Proclium in Musas quoque sensi. En signa fauoris!  
Carmina TRILLERI laudat amatque mei.*

*Sic animas etiam seruant sibi Numina puras,  
Tempore quae duo vincula legis amant.  
Haud homini, quae debet homo, dediscere possunt,  
Peccandi veniam cum tamen arma probent.  
Quos ego, si per eos belli decreta stetissent,  
Mitius acturos cuncta fuisse reor.  
Nec desunt etiam, quorum moderamine infuso  
Pristina Francorum gloria stare potest.  
Nullam non meruit laudem Monmerquius hospes,  
Cuius ab ingenio pectore fucus abest.  
Promptus ut officii, sic blando affabilis ore  
Gaudet onus nostrae posse leuare domus.  
Et quos cum medicis chirurgos Francia misit,  
Eximios reperi moribus, arte, manu.*

*Eß*

*Est in GILBERTVM pronus mihi peſtoris ardor,  
Virtutum & ſtudii nos bene iunxit amor.  
Nec vacuis horis pendere docentis ab ore  
Cunque aliis noſtras ſpreuit adire ſcholas.  
Beauffier & Louis, Logenie, Lachauſſe, Tenevre  
Sunt mihi, ſunt doctis nomina cara viris.  
Quaeque fauent meritis artis cimelia noſtrae,  
Vnius ornarunt alteriusque caput.*

*Quam mendax iterum quam friuola fama fuiſti,  
Quae pacſae nuper nuntia pacis eras!  
Inualidas praebes auidis & bianribus eſſas,  
Spumofa paſcis credula corda dape.  
Mittere legatos aulas conuenerat inter,  
Iam proficiſcuntur, iam pia vota calent.  
O bene cedat iter Stanley Tibi! ſic Tibi Buſſy,  
Ampla initae pacis munera ferte domum.  
Numinibus terrae date Vos o Numina coeli,  
Pacis ut a Vobis dona venire putent.  
Nec dubitent aequas paſtorum admittere leges,  
At quid non aequum eſt, ſi mala tanta premunt?  
Si capiti ciuis ſemper noua tela minantur?  
Inſons quid fecit? quid meruitque miſer?  
Miſſe viri eximii paucos periere per annos,  
Quos regit obducto ceſpite puris humis.  
Ecce caſas humiles pagorum & ſordida rura,  
Ianua nulla domus, vixque ſeneſtras, regit.  
Perdidit & Corydon diſſentis lacte capellas,  
Deſiit ad riuos paſcere Thyriſis oues.  
Auditur volucrum concentus in aere nullus,  
Vel ſub fronte putri ſlens philomela ſedet.  
Vaſtata eſt regio, iam ſunt ſine gramine campi,  
Silua exciſa horret, vomere terra caret.  
Et quaquuerſum vacua omnia cernis, ut vnguam  
Humana dubites culta fuiſſe manu,  
Principibus tamen eſt cordi tyrela ſuorum,  
Non his quam populi ſanctior vlla ſalu.  
Illorum hinc oculos mala noſtra latere veremur,  
Forte, quod has aures vulnerat, aula cauet.*

\*\*

Nutrit

Nutrit adulator spem de successibus ortam,  
De populi aerumnis prouidus ore silet,  
Quas patrum patriae lacrymas puto posse mereri;  
Dignior haud illas causa mouere potest.  
Spes hinc nata nouo coituros foedere Reges  
Illudens miseris irrita tota cadit.  
Legati abscedunt, iam bella ferocius inslant,  
Obruimurque nouis opprimimurque malis.

In tantos animi densa sub nocte stupores  
An scintilla spei laetitiaeque cadit?  
Verte oculos retro, lux coelo effusa Britanno  
Spargitur & magnum Regis ab ore iubar.  
En Regina venit thalamis dignissima Regis,  
Fulera noua angustiae mox paritura domus!  
Qua regni pompa, quo plausu gentis euantis  
Vtrumque inuestit sacra corona caput!  
Vitalem hinc cuius sentit remeare calorem,  
Nam calet in Regem vel morientis auor,  
Gaudia liberius Tu Magna Britannia iactas,  
Nostra latent, sed non inferiora tuis.  
Ad solenne sacrum nostri haud patet area templi,  
Iam Cereri, haud Regi, nec vacat illa Deo.  
Musa suis laribus solitisque eiecta palaestris  
Nil nisi furtiue vel titubanter agit,  
Tu classe atque armis arces victricibus hostem,  
Is vero in nostris nunc dominatur agris.  
Tu pacis requis, nisi sis solidissima, leges,  
Hic celere implorat naufragus omnis opem.  
At licet hostiles non publica iubila turmae,  
Vix frontis nostrae signa serena ferant,  
Tibura tamen pia corda serunt, sacer aefluat ignis,  
Interno pietas fomite nostra flagrat.  
Et gemit: almae Deus, cuius sunt munera pacis,  
Hanc tot muneribus, nam potes, adde Tuis!  
Pax thalamos Regis comitata decusque coronae  
Omnes, quas sitiunt vota, dedisset opes.  
In fastis aevi Septembri haud mense fuisset  
Nobilior mensis tot meritisque sacer.

Quid

Quid miseris, dum plena sibi sua gaudia fingunt,  
 Inter vana etiam ludere vota vetat?  
 Haec merito inspirat vis cretissima belli,  
 Vrbs cui non vidit nec tulit ante parem.  
 Quanta sub autumno coelum regit undique nubes,  
 Atra quidem dudum, iam tamen atra magis,  
 Vidimus effusus calidisque cohortibus hostem  
 Vi tota exhaustis incubuisse locis.  
 Corde suo nondum curas erasit habentis,  
 Quamuis, quae Leinae est, non sit arena Tagi.  
 Quid manet intactum? quae sunt, quibus ira pepercit?  
 En vacuae in pagis, en et in urbe domus!  
 At postquam exitium, quibus haeserat, acutis agris,  
 Vicinis infert densa caterua pedem.  
 Frissa pars eius, pars Guelphica rura pererrat,  
 Fertur per geminas impetuosa vias.  
 Dissipat, euertit, vastat, rapit impetus ille,  
 Non iam per campos Voltea Camilla volat,  
 Quae celeri teneras pede vix laxisset aristas,  
 Mars hic frugiferi diruit ima soli.  
 Te Guelpherbytum portas aperire necesse est,  
 Post tot ab hostili fulmina iacta manu.  
 Mens horret, quamuis propriis stupefacta periculis,  
 Magnorum o sedes deliciisque Ducum!  
 Horrui inde magis, tanto quod ab igne timeret,  
 Splendida ne fieres biblioteca cinis.  
 Dent muros pia fata lares inopemque senectam  
 Illi, qui Musis tanta tropaea rapit.  
 Si deleta forent, vix post tot crimina belli  
 In Martem poterat plus cecidisse probri.  
 Vi tantae urbs cessit, saeuos pacaret et ignes,  
 Aere redempta graui est obsidibusque salus.  
 Nunc tua res agitur, Brunsvicum, eademque procella  
 Moenibus & portis imminet ecce tuis!  
 Per noctem ignitas reuoment mortaria glandes,  
 Fulmineo, ut vereor, te super imbre ruent.  
 At FRIDRICVS is Princeps interuenit ausis,  
 E genere heroum strenuus ultor adest.

Lucknerus comes est, cuius post inelyta facta  
Hostibus incutiunt nomen & arma metum.  
Hinc sine spe fugiunt potiundi hiemalibus illis,  
Nec parua est strages hanc comitata fugam.  
Libera iam regio tamen undique sentit eorum,  
Qui subiere lupi, barbara signa pedum.  
Raptos hostis equos pagis hic tradit alendos,  
His tamen eripuit pabula cuncta prius.  
Furfura dant igitur, stipulas, ramenta scobemque.  
Sit mera iam macies, si modo viuunt equus.  
Ingenium sub cote sua splendet agreste,  
Intellectum acuiunt verbera, mulcta, metus.

Frigus nondum vrit campos sub mense Nouembri,  
Serijs hinc in iis stat clypeata seges.  
Ad pugnam accinctae stant nostrae hostisque phalanges,  
Vtrinque exspectant Martia signa ducum.  
Cernimus adferri, quos horrida vulnere foedant,  
Quorum membra sui sanguinis imbre madent.  
Quis bene non meminit, lapsa quod contigit anno,  
Urbe sub auxilijs esuriente suis?  
Cum premeretur inops minus intra moenia ciuis,  
Quam praeclyso aditu pane cibusque carens.  
Abfit, ut haec redeat tam tristis scena dierum,  
Visa tamen multis non nimis esse procul.  
Plus resonas iustis vicinia tota querelis,  
In proprio cernens utraque castra sinu.  
Vnus ab occasu est exercitus, alter ab ortu,  
Praeda sitim haud explens inter utrosque iaces.  
Vulcani igniuomas trepidans Eimbeca cauernas  
Effossosque specus militis arte vides.  
Pulueris & pyrii sub mole cuniculus ardet,  
Et cum terribili valla fragore ruunt.  
Sub praedone velut tremis orbus veste viator,  
Sic munimentis urbs tremis orba tuis.  
Haud modicam argenti summam paulo ante dedisti,  
Crimine quo poteras hoc meruisse malum?  
Non aliae fatum repererunt mitius urbes,  
Quis muris cinctas crimen habere neget?

Vii

Vis est ius summum, ius belli an tale vocandum?  
 Ius fuit & vis est, vox tamen una manet.  
 Urget hiems, pronis ad nos iam passibus itur,  
 Urbem praesidii nomine miles adit.  
 Angulus excutitur, qui sedem praebet, omnis,  
 Scrutinium excussus eras magis acere subit,  
 Et casa iam putris totos capie una maniplos,  
 In cameram eicitur, vix ubi lunen, herus.  
 Obruet & nostras mox copia militis aedes,  
 Perdidimus, vereor, pristina iura domus.  
 Sexto mense probus nobis Monmerquius hospes  
 Cum seruis & equis cum canibusque fuit.  
 Nil hucusque oneris rulinus, nec ab his, nec ab illo,  
 Sanctum erat bis normam, quam dedit ille, sequi.  
 Nunc quoniam creescens spatii plus exigit agmen,  
 Extrimi turbas hoc veniente nouas.  
 Hinc fuit in votis, cameras, quos forte vacarent,  
 Primis hospitibus cedere posse meis.  
 Hi non cunctantur numeros complere suorum,  
 Nec mihi sic visa est res cecidisse male.  
 Sunt clamore tamen, sunt omnia plena tumultu,  
 Iamque meae pars sum non nisi parua domus,  
 Crebro inuitatus si nunc TRILLERE venires,  
 Haud cameram haud lectum me dare posse puto.  
 Quindenos numero, sed equos omitto canesque,  
 Qui somnos faciunt iam mihi nocte breues.  
 Hos forsitan strepitus adsueta haud sentiet aurés,  
 Perque alias resonant guttura plura domos.  
 Quinquaginta homines ubi lectum continet unum,  
 Hic lignum aut oleum postulat, ille salem.  
 Tamque truci fremitu simul omnes omnia poscunt,  
 Vt sub collis mugiat aura sonis.  
 Ad cunctos vigili tamen est opus hospitii aures,  
 Nam surdastra rudi vix monitore caret.  
 Mens memor illorum, quorum magis aspera fors est,  
 Ad sua damna minus, plus aliena genit.

Quos autem fontes decet accusare malorum?  
 Hunc Deus immisit, qui cadit imber, ais.  
 Iure quidem, at solas male Numinis arguis iras,  
 Plus hominum ante oculos aestuat ira tuos.

Prodit his annis uberrima copia frugum,  
Defruxit belli coelestia dona furor.  
Quae culpa annonae? dederat Natura Deusque,  
Belli iure (magis crimine) perdit bono.  
Sacrare in vitas durum est, in pabula vitae  
Si minus est durum, censeo turpe magis.  
Nam cunctis profunt & alunt prauosque probosque,  
Sic Sol sic Aer seruit utrisque suum.  
Mars raperet Solis, si posset, & Aeris & sum,  
In cinerem haud habitat certere ruris opes.  
Inuidet has domini, vastanti haud inuidet igni.  
Mox omnis annonae, quod parit, ipse subit.  
Bella sibi haud meminit cum coeli legibus esse,  
Hostes ense decet non ingulare fame.  
Sic vitae & victus ratio est fere vilior alga,  
Diuinis oculis non puto talis erit.  
His sane humani seges est numerata capilli,  
Mars capita, heu rabies! millia non numerat.  
Quid tandem eueniet? iacet sua fulmina Mauors,  
Maiori armata est fulmine dextra Dei.  
Si manus extra urbem, manus altera vexat in urbe,  
Vindicis par est maior utraque manus.  
Soluere se possunt curis, quos illa tuetur,  
Nil offendiculi, quod vereantur, erit.  
Excuriat modo saepe sumum mens conscia culpaes  
Namque est cum superis pax ineunda prius.  
Urbs octo numerat pro cultu Numinis aedes,  
Sunt Cereri plures, dum vacat una Deo.  
Peruasum est hosti, bellorum ex lege decere,  
Tot sua iam Cereri cedere iura Deum.  
Grex ouium aegrotans cur tot pascatur in aruis?  
Scilicet insectae labe videmur oues.  
Has quid ali confert? plus horrea publica profunt,  
Dignius haec Martis nobile germen alunt.  
Hinc & nostra aedes frumenti est mole referta,  
Et tua iam, Foertlchi, lingua disertata silet.  
Quid non sacrilegi petulantia militis audet  
Squalente ingrediens limina munda pede?  
Diffringit



Diffringit, lacerat, mutilat, contaminat, aufert,  
 Idque sui officii, velle nocere, putat.  
 Quia renum passim sordes adspergit & alui;  
 Talis ab immundis aura redundat haris.  
 Parcite, nam sacer est locus, extra meite! tantas  
 Circa se sordes nec probat ipsa Ceres.  
 Verum ubi cessit adhuc sacra nostris visibus aedes,  
 Iam turbata olim nec sine sorde fuit.  
 Francorum quot sunt illata cadauera dudum!  
 An vero exuviae suavius hostis olent?  
  
 Hyberni Oceano properant se mergere soles,  
 Tu, quam accendisti, Mars quoque merge facem!  
 Nil vero laeti novus adfert ominis annus,  
 Vox una aularum rursus ad arma vocat.  
 Belligerosque viros priscus magis occupat ardor,  
 Navalis feruet maxima cura rei.  
 Perque tuum Franci iurant Neptune tridentem,  
 Mox illaturos se sua iura mari.  
 Per magna instaurant neglectam impendia classem,  
 Ad Regem accensi numeratae civis eunt.  
 Multorum armatas offert manus aemula naues,  
 Et flammam belli, quae satis ardet, alit.  
 In tali an virtus Deciorum corde reuixit?  
 Error an ambitio vel grauis ira mouet?  
 Hanc fors an meruit reiectae iniuria pacis?  
 Vindictam patriae suadet & urget bonos?  
 Virtutis vitiique nimis consuetudo fallunt,  
 Haud rationis abest iniustitiaeque color.  
 Causa probabilior sua parti utriusque videtur.  
 Sinceras partes liuida membra trahunt.  
 Longam pertaesus pacem confurcit Iberus,  
 Arma sua adiungit Francia laeta tuis.  
 Nec tamen hanc hydram metuunt tua iela. GEORGI,  
 Nondum hoc armato Brittones hostile tremunt.  
 Quis cecidisse iurat laruam fallentis amici,  
 Qui belli aerumnas, quas ciet, ipse feret.  
 Ferre dolemus eos, quos culpa haud implicat error,  
 Quot non infantes constat utrinque pati!

\* \* \* \* \* Jam

Iam sumus ad menscm salui, TRILLERE, reuersi,  
 Qui vitæ nobis munera prima dedit.  
 Plus quartam an decimam lucem saluere iubebo?  
 Vtraque cara mihi est, vtraque cara Tibi.  
 Neutra probat planctus. Obiutu figimur vno  
 In tot praesidiis, o Deus alma! Tuis.  
 Haec nos per vitæ salebras comitata fuerunt.  
 Emersit, quoties miserat vnda, caput.  
 Dum post lustra decem quartum decurrimus ambo,  
 Haud tota aufugiunt mitia fata domus.  
 Te proba fortunat soboles, & me pia coniux,  
 Non omni corpus mensque vigore caret.  
 Illud habes, vitæ quod honestæ postulat usus,  
 Nil tua praeter eum sobria vota petunt.  
 Nec quoque tam tenuis census mihi contingit, vt me  
 Iacturae modicae mergere possit onus.  
 Quas grates TRILLERE Deo, qua voce feramus?  
 Proque salute tua, proque salute mea.  
 Qui nos protexit clypeus, nos proteget ultra,  
 In tacito est nobis spes ea clausa sinu.  
 Pande vias, diuine Parens, bilaresque sequemur,  
 Laedere quæ poterit Te praecunte manus?  
 Sub pede nempe Tuo est hic plenus nubibus aer,  
 Muta erit ad nutus orta procella Tuos.  
 Spes nona in hos animos, succus nouus intrat in herbas,  
 Non confusa redit spes pia sista Tibi.  
 O perculsa graui Germania vulnere Martis!  
 Plus animum obfirma, quo magis arma fremunt.  
 Pacatum cernes diffuso lumine coelum,  
 Si pacare vnum sit Tua cura Deum.

Purior electro tunc Leina meabit & Albis,  
 TRILLERE, & sacro Pegasis vnda iugo.  
 Doctæ iterum ludent in vtroque Helicone sorores,  
 Te collusurum suauiter esse reor.  
 Hæc, quibus praeestas, Numen dedit, vtere donis.  
 Non dedit, vt iaceant, vt fruere mur, habes.  
 Si vocat artis honos, de Coeo perge mereri,  
 Ceditur huic princeps, nec sine iure, locus.

Gottingae mensē Februarīi A. S. c180cc1xii.

VD-18

ULB Halle

006 817 750

3





AD

VIRVM ILLVSTREM  
 DANIELEM WILHELMVM  
 TRILLERVM D.

IVM AVLICVM REGIVM  
 CINAE PRIMARIVM VITEBERGENSEM  
 ICVM EX ASSE  
 QVINTA  
 IS BELLII CALAMITATIVS  
 QVERELA  
 RICHTERI.

*Kapsel 78N 11 [9]*

*Al*

